

Quia in ordine succedendi est in eodem proximo gradu, quo erat alius, quem repræsentat, ita lege statuente, cui adhæsit mens testatoris, ut eleganter, & eruditè advertit Angelus Matheaci de legatis & fideicommissis, lib. 2. cap. 6. nam. 12. & legis duodecim tabularum ratio non æq; militat in Majoratibus, sicut in aliis successioneibus; Nam alias si ex dictis verbis repræsentatio exclusa censeretur, nullus ferè Majoratus esset, in quo locus esset repræsentationi, cum prædicta clausula communiter apponi soleat in omnibus Majoratibus, ut notavit Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 3. dist. cap. 8. n. 11. & post eum Avendannus in l. 40. Tauri, gloss. 21. n. 21. Et sic interpretatio fieri non debet contra id, quod verisimile est, aut magis communiter practicatur, l. Mevius, 68. ibi: *Nam incredibile, &c. ff. de legatis 2. leg. si venditor, 6. in vers. nam in credibile, ff. de servis exportandis, l. cum in testamento, 25. ibi: Et secundum id, ff. de rebus dubiis, l. si plures, 24. ibi: quod vix, &c. ff. de vulgari & pupillari substitutione.*

Deinde, nec etiam obstat, quod casus repræsentationis omiffus fuerit, nec loquatur scriptura de eo, qui per repræsentationem succedere potest; & sic quod ad eum casum extendi non debeat dispositio, ut latius argumentatur Joannes Gutierrez practicarum, lib. 3. dist. quest. 66. ex n. 6. usque ad n. 18. quia ex præcedentibus apparet solutio; & respondet ipse Gutierrez ubi supra, num. 55. Et quinque seqq. & ante eum diluit argumentum hoc Tiraquellus de primogenitura, d. quest. 40. ex n. 193. recte probans quod imo potius dictus casus comprehendatur sub verbis dispositionis, contineaturque ex mente testatoris præsumpta, ut supra dixi.

Præterea, nec obstat dicere, proximitatem ad succedendum respectu primi institutoris Majoratus esse considerandam ex sententia quorundam; & inde proximiorum censeretur respectu institutoris patrum, quam nepotem, vel eum qui revera proximior est, quam alius, qui per repræsentationem judicatur proximior: Nam huic rationi plene satisfacit Velasquez de Avendaño in l. 40. Tauri, gloss. 10. n. 22. 23. 24. Et ut verum dixerim, negari non potest, contrarium sententiam, proximitatem scilicet considerandam esse respectu ultimi possessoris, veriorum esse, & magis communem, ut agnoscit idem Avendannus ubi supra n. 23. & latè, atque eleganter probavit Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 3. cap. 9. per totum, & sequuntur infiniti Authores, quos congeffit in unum Additionator Gamæ, in locis referendis itam. Mieres de Majoratu, part. 2. quest. 8. per totum. Cephalus in cons. 313. volum. 3. Alexander Trentacinq; de substitutionibus, 4. part. cap. 12. per totum. Alexander Raudensis post tractatum de analogis, in appendice, 1. part. à n. 15. usque ad num. 67. Et num. 118. Anelus Matheaci de legatis & fideicommissis lib. 2. c. 15. & cum Rolando, Parisio, Burfato, Menochio, Deciano, Riminaldo, Præcis, Mantica, & multis aliis Additionator Gamæ, qui plures casus distinguit in addit. ad decis. 7. per totam, ubi latissimè, & in addit. ad decis. 93.

Non obstat etiam, quod institutor Majoratus ex decisione ejusdem l. 40. Tauri, vocare possit eos, qui revera proximiores sunt, & repræsentationem excludere: Quia fatemur libenter id verum esse; negamus tamen, videri in dubio Majoratus institutorem sic fecisse, aut eo dumtaxat, quod dixerit se proximiores vocare, repræsentationem excludisse, ne alias sequatur absurdum, quod uno vel tantum verbo, omnia jura repræsentationis, & legum hujus Regni dispositiones evertisse dicatur, contra rationem textus in leg. si quando, C. de inofficioso testamento, quam exornant nonnullis, Quædam diversarum questionum juris, cap. 6. n. 22. Anastasius Germonius lib. 1. animadversionum, c. 10. nec se cum decisione legum hujus Regni conformare voluisse, quod in dubio præsumendum non est, juxta vulgatam allegationem leg. heredes mei, §. cum ita, ff. ad Trebellianum, ubi post Bartolum notavit Ripa n. 74. & 75. & mul-

23
24
25

tis confirmant Alciatus regula 3. præsumpt. 32. in principio. Menochius lib. 4. præsumpt. ultima: eo præcipuè, quod juxta regulas & principia juris communis, certum est quod expressio eorum, quæ tacite insunt ex natura ipsius rei, de qua agitur, nihil debet operari, neque immutare naturam illius rei, maximè cum verba expressa sunt eo modo, quo inerant, l. 3. ubi omnes communiter, ff. de legat. 1. Mieres de majoratu, part. 1. quest. 60. n. 1. Duennas regula 285. Alvarus Valafcus consultat. ultima. Grassus §. legatum, quest. 47. Alexander Raudensis de analogis, lib. 1. cap. 30. num. 179. Camillus Gallinius de verborum significatione, lib. 1. cap. 10. per totum, & cap. 13. Et 14. qui multa adducunt in proposito præfatæ doctrinæ. Sed in omnibus Majoratibus certa regula est, successuros eos, qui proximiores sunt, idque tam ex natura ipsorum Majoratum, quam ex legis dispositione: ergo adjectio vocationis proximiorum nihil potest, nec debet immutare.

Quod inevitabili consideratione suaderi potest, quæ deducitur ex l. 2. tit. 15. part. 2. §. l. 40. Tauri, ubi non obstante, quod sciebant conditores, ut certum est, prædictum modum succedendi, & quod in eisdem legibus facta erat mentio proximitatis, & filiorum primogenitorum, inducta fuit repræsentatio, atque statutum, quod nepos prædefuncti, cuicumq; alii consanguineo præferatur. Unde intelligi datur aperte, admitti debere repræsentationem, non obstante vocatione proximiorum à testatore facta; siquidè prædictæ leges, etiam proximiorum vocantur, & nihilominus repræsentationem admittunt, ut cum judicio advertit Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 3. cap. 8. num. 11. & post eum Avendannus in l. 40. Tauri, dist. gloss. 20. num. 21.

Suadetur deniq; & alia ratione, quod ad hoc ut excludatur jus repræsentationis, necesse est, quæ est testatoris aya dispueto otra cosa, ut in dist. l. 40. Tauri, cavetur. Circa quam nonnulli Authores existimant, necessariam esse expressam dispositionem; alii verò credunt sufficere tacitam voluntatem ex conjecturis deductam; & quamvis hæc opinio secunda probabilis sit, & tenenda, ex rationibus, atque autoritatibus adductis per Molinam de Hispanorum primogeniis, lib. 3. cap. 8. à princ. Avendannus in l. 40. Tauri, gloss. 20. à princ. usque ad n. 20. Tamè in specie questionis nostræ hæctenus agitata, nec est expressa, nec etiam tacita, aut conjecturata voluntas, ex qua repræsentationis jus excludi possit.

Quod probatur in primis, quia testator, vel institutor Majoratus circa exclusionem repræsentationis nullum verbum allocutus est, nec credendus est id voluisse, quod verbis non expressit, & facile esset illi exprimere, per textum in l. quidam cum filium, ubi Doctores communiter, ff. de hereditibus instituendis, l. Divus Trajanus, ff. de militari testamento, cum his, quæ in proposito scribunt Baldus in l. unico, §. ad deficientis, C. de caducis tollendis, per textum ibi Decius in consil. 291. num. 6. Craveta in cons. 161. num. 12. Et seqq. Alexander num. 4. & Jason colum. 2. in lege 3. C. de liberis præteritis. Peralta in lege, si quis in princ. testamenti, num. 144. Et 173. ff. de legat. 3. Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 1. cap. 4. n. 6. maximè in re tanti momenti, & considerationis, argumento text. celeberrimi in leg. item apud Laboneum, §. ait Prætor, ff. de injuriis, ibi: *Ea enim, quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter comprehendantur, videntur quasi neglegita*: cum adductis per Tiraquellum in l. si unquam, in verbo, libertis, n. 3. C. de revocandis donationibus. Corsetum in cons. 312. num. 9. volum. 1.

Secundò probatur, nam qui dicunt ad exclusionem repræsentationis, tacitam voluntatem sufficere ex conjecturis deductam, tales conjecturas requirunt, quæ ex verbis ipsius dispositionis colligantur, & adeo præcisæ sint, ut ex illis nihil aliud, quam repræsentationis exclusio deduci possit, ut resolvit Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 3. dist. cap. 8. num. 15. & eum sequuntur Menochius lib. 4. præsumpt. 95. num. 4. ubi in idem refert Afflictis, & Peralta: Covarruv. etiam idem tenet, practica

26
27
28

practicarum, dist. cap. 38. n. 10. in fine, versic. hæc autem voluntas, ubi dicit, quod voluntas excludendi repræsentationem, expressim constare debet, aut sane ita tacite, ut in dubiū revocari non valeat: quod non concurrit in nostro casu, siquidem ex verbis illis, *Lamo al mas cercano*, repræsentatio expressim exclusa non est, dec de repræsentatione aliquid dictum. Præterea, nec exclusionis repræsentationis ejusdem conjectura aliqua deducitur, quæ evidens sit aut ita sanè urgè, quod indubium revocari non possit; adhuc enim remanet maximum dubium, eo quod prædicta verba intelligi possunt iuxta dispositionem juris, de eo, qui proximior est mediante repræsentatione, aut de eo, qui aliter proximior est: & sic cum in dubio versetur, nec certa, aut indubitata testatoris voluntas appareat, securus est repræsentationem admittenda, cum lege ita statuente, in eodem proximiori gradu sit repræsentans alium, quo ipse repræsentatus erat, quam in casu incertitudinis repræsentationem excludere, ex his, quæ scribit Craveta in cons. 32. n. 7. & in cons. 143. in fine, lib. 1. & cum aliis Menoch. lib. 4. præsumpt. 67. n. 4. ubi dicit, quod voluntas incerta non attenditur, ut recedatur ab eo quod est certum.

Nec obstat prædictus text. in l. si libertus præterito, 23. §. 1. ff. de bonis libertorum. Quia respondet Molina lib. 3. dist. c. 8. n. 13. Et duobus seqq. quod in eo textu, ideo ex vocatione proximioris excluditur repræsentatio, quia loquitur Jureconsultus ibi, in speciali materia, quæ suapte natura non est repræsentativa: eo quod proximioris ipsum Patronatus non jure hæreditario defertur; & tamen repræsentatio admitti non potest in his, quæ hæreditario jure non capiuntur. Quam solutionem probavit Joannes Gutierrez practicarum lib. 3. quest. 66. n. 36. Et 37. & quest. 67. n. 33. & in effectu Pichardus etiam in §. 1. Institut. de hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur, tractatu de repræsentatione, n. 9.

Verum hæc solutio aut verò non diluit difficultatem illius textus, aut non omnino tollit inductionem contrariæ partis, ea consideratione, quod in eo textu duo videantur principaliter contineri. Primum est ejusdem textus decisio, qua probatur aperte, quod in successione liberti filius excludit nepotem, sic ut nepos non admittatur quandiu filius est, quod Julianus ejusdè §. Author probavit in hæc verba: *Si libertus intestatus decesserit, relicto patroni filio, & ex altero filio duobus nepotibus, nepotes non admittentur, quandiu filius est*: Et hæctenus Julianus videtur expressè pro inductione eorum facere, qui priorè sententiam relatam supra, n. 5. tuerunt; verè tamen, licet disposuerit filium excludere nepotè, si ulterius non progrediretur, pro illis non faceret: posset namque vitari ea decisio, dicendo prædictam prælationem aliis respectibus factam, qui proposito nostro non conveniunt; aut saltem eum textum plures specialitatis rationes habere, ut cum Jasone, & Fabro, probavit Gutierrez practicarum, lib. 3. dist. quest. 66. n. 37. five propter ampliandum favore libertatis procedere, ne libertus plures patronos habere cogatur, ut cum Alexandro, Imola, & aliis observavit Rolandus in cons. 68. num. 51. volum. 1. aut ex aliis, quæ Hypollitus Riminaldo notavit in cons. 410. n. 24. Et n. 31. Et 32. lib. 4. In eo tamè inevitabilis videtur, quia Jureconsultus ibi, postquam superiora verba dixerat, eorum reddit rationem, dicens: *Quia proximum quemque ad hereditatem liberti vocari manifestum est*. Et hoc est secundum, quod textus ille continet; ubi, ut dixi, ponitur ratio, quare filius nepotem excludit, & videtur contra nos fortiter urgere: siquidem dicitur, ideo nepotem non admitti, quia proximus ad successionem vocatur, & consequenter solutio Molinæ, quod text. ille loquatur in materia speciali, convenire potest primæ parti, ubi simpliciter disponitur, quod filius succedit, & excludit nepotè; hoc enim speciale est in successione liberti, quia in omnibus aliis successioneibus filius & nepos per repræsentationem pariter admittuntur, §. cum filius, Institut. de hereditatibus, quæ ab intestato, ubi Faber, & Angelus

29
30

sed non videtur convenire rationi prædictæ, quæ evincit rationem specialitatis, ut non admittatur nepos cum filio, in eo consistere, quod proximus quisque ad hereditatem vocatur, & hoc modo inductus ille textus, fortiter adstringere videtur, ut ex vocatione proximioris, repræsentatio exclusa censetur: nihilominus tamen solutio Molinæ defendi posset, & pro defensione ejus constitui, quod ratio illa, quia proximum quemque, &c. in contrarium non urget; eo quod Jureconsulti Juliani intentio dumtaxat est ostendere, in casu illo nepotes non admittendos, quandiu filius est, & reddit rationem: *Quia proximum quemque, ad hereditatem liberti vocari manifestum est*. Quæ ratio concludit, nepotes non admittendos, quia materia, de qua agitur ibi, suadet proximios tantum esse filios, cum in ea repræsentatione locus non sit; non verò concludit, vocationem proximiorum repræsentationem excludere, quinimò admittere eam, plenè probatum fuit supra, si materia suapte natura habilis fuerit. Vel subtilius, & ultra Molinam, & reliquos dici posset, constituendo in primis, lege 12. tabularum in successione avi ab intestato, nepotem in locum patris præmortui succedere, atque representando eum, cum patruo simul ad successionem avi vocari, l. in testato, l. si defunctus, C. de suis & legitimis hereditibus, §. cum filius, Institut. de hered. quæ ab intest. defer. idque in successione tantum ascendendum admittum fuisse; nam agnati transversales secundum gradus prærogativâ vocabantur, l. 1. §. gradatim, ff. unde cognati, l. 2. §. hereditas, ff. §. legitima, ff. de suis & legitimis hereditibus; & sic filius non repræsentabat gradum patris sui prædefuncti, §. si plures, Institut. de legitima agnatorum successione, ubi Antonius Pichardus n. 1. sic adnotavit: Julianianus verò in transversalibus primi gradus hoc emendavit, statuitque, in successione fratris defuncti admittendos simul cum patruo, hoc est cum fratre, & alterius fratris filios superstites, sed extra filios fratrum, repræsentationi locum non esse, Authent. de hereditibus ab intestato venientibus, §. 2. vers. hujusmodi, Authent. cessante, Authent. post fratres, 2. C. de legitimis hereditibus l. 5. tit. 13. part. 6. l. 8. Tauri, ubi Antonius Gomezius n. 8. & Tellus Fernandez n. 3. l. 5. tit. 8. lib. 5. novæ collectionis Regiæ, ubi latè Mariençus, & Azeved. Grassus §. successio ab intestato, quest. 30. Et 31.

Hoc supposito dicendum est, ideo in d. l. si libertus præterito, §. 1. ff. de bonis libertorum, repræsentationem cessare, quia non tractabatur de succedendo in bonis avi, sed de succedendo in bonis liberti, ut ex contextura ejus textus constat aperte: de jure autem antiquo, cum solum in successione ascendendum haberet locum repræsentatio, ut supra diximus; merito denegatur à Juliano in ea specie repræsentatio.

Nec obstat dicere: quod succeditur ibi in jure Patronatus, quod ipsius avi erat: Nam respondetur quod cum filius ex jure patronatus non conseqatur jus succedendi in bonis avi, sed liberti non inspicitur persona avi, nec servatur ordo succedendi ab intestato ipsi avo, per textum singularem in l. Paulus, §. Paulus respondit nepotem, ff. de bonis libertorum; idcirco, quia agebatur de successione liberti, in qua repræsentationi locus non est, rectè adjectur illa ratio, *Quia proximum quemque, &c.* eaq; ad excludendum nepotem sufficiens est, quippe cum ipse nepos remoto repræsentationis beneficio, in proximiori gradu non sit, cum præcedat eum pater suus; frustra tamen, & ineptè quidem adjiceretur prædicta ratio, si de succedendo avo tractatum esset, cum in successione avi ab intestato proximum quemque lex vocaverit, per text. in d. l. 2. §. hereditas, ff. §. legitima, ff. de suis & legitimis hereditibus; & tamè nepos ex filio ad successionem admittitur, ut supra probavimus, quia per repræsentationem in proximo gradu constituitur, per text. in d. §. cum filius, Institut. de hered. quæ ab intest. defer. Et in hoc consistit vera ratio illius textus, non verò in alio, quod dicebat Rolandus in cons. 68. n. 51. vol. 1. cujus mentionem fecimus supra; propter ampliandum

31
32
33
34
35
36

plendum favorem libertatis sic statutum, nec libertus cogatur plures habere patronos: id enim in consideratione non habetur in eo textu, ut constat ex fine ejusdem, ibi: Si autem ex duobus patronis alter unum filium, alter duos reliquisset, dixi viriles inter eos partes fieri. Nihil ergo intereret, nepotes admitti cum filio ob prædictam rationem, nisi aliud resisteret, ut supra ostendi.

Ex quibus, nec etiam probari possunt ea, quæ in proposito de legis cum aliis scribunt Jason in l. si avia, n. 5. C. de successorio edito, & in consil. 215. colum. penultima, lib. 2. Hyppolitus Riminaldus in consil. 410. n. 24. & n. 31. & 32. lib. 4. nec enim vera sunt, neque superius dictis conveniunt. Et de his hæcenus dixisse sufficiat.

CAPUT XXI.

De substitutionibus in genere.

Ad explicationem 3. & 4. & 7. Assertionis, quæ ad divisionem Substitutionum pertinent, & cap. 81. lib. I. continentur, brevis traditur, & dilucida interpretatio: Substitutionis Directæ an quatuor sint, vel quinque species: Vulgaris etiam, an sit triplex: Fideicommissaria item, an proprie sit substitutio, discutitur, & nonnulla ab Authore adnotantur, quæ sic distinctè composita, atque originali Scribentium omnium lectura elaborata, nullibi antea fuerant.

SUMMARIUM.

- 1 Substitutionum quedam directæ sunt, quedam obliquæ: Directæ est illa, quæ substituto hæreditatè defert sine alterius ministerio, & restitutione. Obliqua est, quæ substituto hæreditatè defert ex alterius ministerio, & restitutione, ut fideicommissaria. Idque multorum Auctorum sententiâ comprobatur, & latius explicatur, remissivè.
- 2 Substitutionis directæ quinque species sunt, videlicet Vulgaris, Pupillaris, Exemplaris, Reciproca, aliis breviloqua, item Compendiosa, idque ex sententiâ Communi.
- 3 Contra quam plures rationes expendi solent, quæ remissivè adducuntur.
- 4 Et illis responderi potest ex his, quæ hoc num. adnotantur, item ex his, quæ in proposito Alexander Trentacinius scripsit, & ibidem pro sententiâ communi, fortissima duæ rationes adductæ, remissivè.
- 5 Substitutiones principales duas tantum esse, Vulgarem, & Pupillarem: cæteras autem ad has referri, vel ex his compositas, ex nova Petri Gregorii observatione in hac materia.
- 6 Substitutionis Directæ quatuor species esse, Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, & Militarem: & consequenter, neque Breviloquam, neque Compendiosam constituere diversam speciem de per se, in puncto & rigore juris verius esse ex sententiâ Authoris, quæ & aliorum auctoritate fulcitur.
- 7 Substitutio proprie an dicatur fideicommissaria, & in statutis, utrum appellatione Substitutionis comprehendatur, difficile quidem esse.
- 8 Et verè in hoc dubio duas esse, & præcipuas Doctorum sententias: & disputationis gratiâ de facili posse quæ utramvis partem defendere, nonnullis etiam Authoribus originaliter, atque attente prælectis utramque opinionem jure, & ratione corroborare, & evertere, & utramque suscipere.
- 9 Inter alios tamen in prosto dubio Paulus Leonius, Sfortia Oddi, Alexander Trentacinius, Joannes Bolognetus, & Angelus Matheacius commendantur,

- 10 Substitutionem dici proprie fideicommissariam ex sententiâ Alex. & aliorum.
- 11 Pro quibus remissivè expenduntur rationes nonnullæ, quæ fortius adstringunt.
- 12 Alexandri sententiam qui defendere voluerit, facile respondere poterit omnibus contrarie partis fundamentis, prælectis nonnullis Auctoribus, qui recensentur hoc num.
- 13 Substitutionem non dici proprie fideicommissariam ex sententiâ Baldi, & aliorum.
- 14 Pro quibus infinita fundamenta congeruntur in unum.
- 15 Et contrarie partis fundamentis plenissime respondetur remissivè, atque responsum etiam generale num. seq. traditur per Auctorem.
- 16 Substitutionis nomen latissimum esse, & in lata significatione, quamcumque subrogationem appellari posse Substitutionem.
- 17 Pauli Leonii locus, pro resolutione Authoris adducitur.
- 18 Joannis Bologneti resolutio pro sententiâ Authoris ponderata.
- 19 Substitutio Vulgaris triplex, quedam expressa, quedam tacita, quedam tacita partim expressa, & partim tacita.
- 20 Expressim aliquid tripliciter dicitur, in genere, in specie, & in individuo.
- 21 Substitutio Vulgaris, expressa dicitur in genere, in specie, & in individuo.
- 22 Substitutiones Vulgares, & Pupillares, quæ continentur sub Reciproca aut Breviloqua, & Compendiosa, expressè dicuntur verbis generalibus, quia quamvis non contineantur sub Reciproca, aut Compendiosa expressè, si accipiamus expressim in specie, & singulariter; in genere tamen accipiendo, comprehenduntur.
- 23 Pro communi sententiâ nonnullæ leges inducuntur.
- 24 Communi sententiâ non nullis modis limitata.
- 25 Substitutiones Vulgares, & Pupillares, quæ sub Reciproca continentur, tunc demum dicuntur expressè verbis generalibus, cum Reciproca generaliter, aut simpliciter concipiatur; secus tamen, si ad unum casum testator se restrinxit, prout hoc numero declaratur.
- 26 Substitutio Pupillaris, quæ non vigore Reciproca, sed sub vulgari expressa continetur, matrem non excludit ex sententiâ communi; contra ex sententiâ Authoris, quæ doctrinâ Bartoli fulcitur, & num. seq. ad finem.
- 27 Substitutio Pupillaris, quæ continetur sub reciproca simplici, aut generali, expressa dicitur verbis generalibus, & consequenter matrem excludit.
- 28 Bartoli repugnantiam in questione superiori, rectè notatam per Menochium.
- 29 Divi Pii constitutionem non obflare resolutioni communi tradita supra, num. 22. & ibidem, verè, & dilucidè explicatus textus in l. jam hoc jure, 4. ff. de vulg. & pup. substit.

PRO hujus capituli dilucida, & absoluta explicatio, constitutum erit in primis, quod substitutionis, ut dicebamus l. i. cap. 81. assert. 3. quedam directæ sunt quedam obliquæ: Directa est illa, quæ substituto hæreditatè defert sine alterius ministerio, & restitutione. Obliqua est, quæ substituto hæreditatè defert ex alterius ministerio, & restitutione, ut fideicommissaria; sic post Glossam in rubrica ff. de vulg. & pupilli, substitut. Albericum, Bartol. Alex. Jason. Ripam, & alios, tradiderit Baldus de Ubaldis de substitutionibus, in præludis, num. 2. Bartolus de Hucio in præludis ejusdem tractatus, num. 1. & Antonius Fumeus in principio, n. 6. Lancelotus Politus in eodem tractatu, in principio, n. 17. Udalricus Zasius num. 4. & Paulus Leonius n. 60. Lancelot. Galiaur. in l. Centurio, col. 3. ff. de vulg. & pup. substit. Guil. Bened. in cap. Rainuntius, de testamentis, verbo, si absque liberis, tit. de Compendiosa num. 12. Covar. in cap. Rainuntius, de testamentis §. 4. n. 2. Colta in cap. si pater, eodem titulo, lib. 6.

De Substitutionibus in genere. Cap. XXI.

lib. 6. in principio, num. 1. Suarez in addit. ad Antonium Gomezium, lib. 1. variarum c. 3. litera B. Sfortia Oddi in præludis Compendiosæ, 1. part. quest. num. 2. Michael Grassus §. substitutio, quest. 3. num. 1. Petrus Gregor. in Synagmate juris, lib. 42. cap. 2. num. 1. D. Spino in speculo testamentorum, glossa 21. num. 17. Alexander Trentacinius, de substitut. in præfatione, num. 20. qui rem hanc latius declarant, ut penes eos videri poterit.

Secundo constituendum est, substitutionis Directæ quinque esse communi Doctorum placito species, videlicet Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Reciprocam, alias Breviloquam, item Compendiosam: quod scribunt Glossa, Bartolus, Albericus, Alexander, Aretinus, Jason, Ripa, & alii communiter in rubrica ff. de vulg. & pup. substit. & in rubrica, & in l. precibus, C. de impuberum, Decius in l. in testamento, colum. prima. C. de militari testamento, Baldus de Ubaldis, Bartolus de Hucio; Antonius Fumeus, & Lancelotus Politus de substitut. in locis relatis supra. Sfortia Oddi, in præludis Compendiosæ, part. 1. quest. 5. in finalibus verbis, Grass. §. substitut. d. quest. 3. in fine. D. Spino in speculo d. glossa 21. num. 18. & novissime cum Communi transit Antonius Pichardus in rubrica Institut. de vulgari substitut. n. 70. & 71. ubi reddit rationem, quare cum quinque sint substitutionum species ex sententiâ prædictâ, duarum tantum meminerit Tribonianus in rubrica ff. de vulgari & pupillari substitut. sed aliter observat Petrus Gregor. Tholosanus, quem tacet prædictus Author, ut mox videbimus; transit etiam cum sententiâ communi, & substitutionem Reciprocam, alias Breviloquam, item & Compendiosam speciem esse substitutionis de per se, & propriam substitutionem defendit Alexander Trentacinius de substitut. 4. part. cap. 1. n. 2. & 5. part. c. 3. ad finem, ubi in proposito diversas Doctorum sententias cumulat: communem etiam Doctorum divisionem sequitur Joannes Onotomi ad titulum Institut. de vulg. substit. in principio num. 7.

Verumenimverò, adversus præfatam, & communem Doctorum sententiam, quamplurima urgent, quæ verè illam dubiam, & difficilem reddunt, & undecim argumenta expendit contra eam, sed illis optimè satisfaciunt Bartolus de Hucio in præludis substitut. ex num. 1. cum seq. & rationi euidam, quæ fortiter adstringit contra sententiam eandem, rectè responderi Udalricus Zasius in præludis substitut. num. 4. fortius argumentatur Paulus Leonius in eodem tractatu, de substitut. in præludis, num. 60. & 61. cui tamen, & aliis contra Communem tenentibus, congruenter responderi poterit ex his, quæ in proposito scripta reliquit Alexander Trentacinius de substitut. 5. part. c. 3. a principio, usque ad versiculum, Secunda est opinio, & vide 4. part. c. 1. num. 2. Atque, ut generaliter dixerim, licet verum sit, quod substitutiones Reciproca, aut Breviloqua, & Compendiosa resolvantur semper in unam ex aliis substitutionum speciebus; tamen quoad earum conceptionem, & quoad modum & formam, negari non potest, quin sint diversæ ab illis aliis: deo expediens fuit, ut ipsæ quoque ponerentur, ad hoc ut cognoscerentur, & declararetur quibus verbis fierent, & quas substitutiones continerent, ac multa etiam alia detegerentur quæ necessarium fuit declarare, quod & ipse Paulus Leonius ubi supra fatetur d. n. 61. & pro Communi fortissimè etiam urgent ultra prædictam rationem alia duæ rationes, quarum unam tradit Covar. in d. c. Rainuntius, de testamentis §. 7. n. 1. aliam Alexander Trentacinius de substitut. 5. part. c. 3. in finalibus verbis, ex quibus communis sententiâ probari posset nec placet nova quedam substitutionum divisio, quam tradit Menchaca de successionum progressu, lib. 2. §. 11. ante num. 1. Cogita tamen, an forsitan jure subsistere possit Petri Gregorii opinio nova in hac materia: Is enim in

Synagmate juris, lib. 42. cap. 2. n. 10. in ea fuit opinione, ut existimaret, duas tantum principales substitutiones esse, Vulgarem, & Pupillarem, cæteras autem ad Joan. del Castillo Quotid. Controv. Juris, Tom. II.

has referri, vel ex his compositas, ut latius ibi probat prædictus Author, & in id expendit titulum ff. de vulgari & pupillari substitut. ubi de vulgari, & Pupillari tantum substitutione tractatur.

Tertio deinde loco constituendum est, sententiam communem, ut dixi, probabilem esse, & disputationis gratiâ facile defendit posset; tamen in puncto & rigore juris verius esse, substitutionis Directæ quatuor species esse, Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, & Militarem, & consequenter, neque Breviloquam, neque Compendiosam constituere diversam speciem de per se: quod cum judicio probavit Bartolus in l. Centurio, n. 11. & in l. Lucius, n. 2. ff. de vulg. & pupill. substitut. & esse magis communem, & verioris sententiam Bartoli testatur nonnulli relati per Alexandrum Trentacinium de substitut. 5. part. cap. 3. in principio, & ultra relatos ibi. Bartolus sequuntur Marianus Socinus n. 179. Alezius n. 56. in dict. l. Centurio Bolognetus in rubrica, ff. de vulgari & pupill. substitut. n. 58. Antonius Fumeus de substitut. n. 681. Zasius in eodem tractatu, cap. 4. n. 1. & c. 5. in principio, Covarruvias, in dict. cap. Rainuntius de testamentis, §. 7. n. 1. Decianus etiam in consilio 1. n. 81. lib. 1. ubi dicit, quod substitutio Compendiosa non est species ab aliis separata, sed quedam conceptio, plures substitutiones æquè principaliter expressas comprehendens. Suarez in addit. ad Antonium Gomezium, tomo 1. variarum, cap. 3. litera B. ubi vide. Paulus Leonius de substitut. in præludis, num. 62. Colta in cap. si pater, de testamentis, in 6. in principio, num. 1. ubi num. 10. in versiculo, inter has singulares, concludentem rationem adducit pro hac parte, sed tacet Bartol. in dict. l. Lucius, columna 1. sic ante ipsum dicentem, sicuti ex eo colligunt Jason, & Ripa ibi, num. 11. & Colta non relato, advertit Covarruvias in dict. cap. Rainuntius §. 7. in principio. Et hæcenus de his, quæ ad dictam 3. Assertionem pertinent.

Nunc verò & quarto loco constituendum est difficile quidem esse, an substitutio dicatur proprie fideicommissaria, & in statutis, utrum appellatione Substitutionis comprehendatur? Et verè in hoc dubio duas esse, & præcipuas Doctorum sententias: & disputationis gratiâ de facili posse quem utramvis partem defendere, nonnullis etiam Authoribus originaliter, atque attente prælectis, utramque opinionem jure, & ratione corroborare, & evertere, & utrumque suscipere: inter alios tamen videndi erunt omnino in proposito Paulus Leonius, Sfortia Oddi, Alexan. Trentacinius, Joannes Bolognetus & Angelus Matheacius, quos statim commemorabo, si enim eleganter, atque latissimè omnino in hac questione scribunt.

Et in primis affirmativam partem, videlicet quod fideicommissaria sit propria substitutio, & fideicommissarius dici possit substitutus, licet non dicatur proprie hæres, tenuerunt Alex. in rubrica, ff. de vulgari & pup. substitut. num. tertio. Socin. num. 15. & Curt. num. 10. idem Alexander in rubrica. C. de impuberum; & Curt. junior, ibi. num. 17. Marianus Socin. in l. Centurio, n. 34. ff. de vulg. & pup. substitut. Duarenus in paraphrasi ad illum titulum, cap. 1. colum. 3. Lancelotus Politus de substitut. in præludis, num. 8. & 9. Marianus Socin. in consilio. 128. lib. 1. cui consilio viginti tunc temporis excellentiores hujus doctrinæ Doctores se subscripserunt, ut testantur nonnulli referendi infra. Menchaca de successionum progressu, lib. 2. §. 11. num. 10. Sfortia Oddi in præludis Compendiosæ, part. 1. quest. quinta, ex num. 2. usque in finem quest. qui dicit hanc esse magis communem sententiam. Grassus §. substitut. quest. 3. num. 2. Alexander. Trentacinius de substitut. in præfatione, num. 24. plenissimè Bolognetus in rubrica, ff. de vulg. & pupill. substitut. ex num. 53. cum sequentibus, qui eodem num. in versiculo, unde in contrarium, præcipuas hujus sententiæ rationes adducit: plura etiam fundamenta pro hac parte congerit: & solutiones, quas contrariæ opinionis Authores reddunt, improbat Alex.